



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Sanctvs Ac Fortvnatvs**

**Coloniæ Agrippinæ, MDCXLVIII**

S. Ioannes Damascenvs. 6. Maij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53246)



# S. IOANNES DAMASCENVS.

6. Maij.

1. Ioannes à patria Damascenus dictus, magnus fuit B. Virginis cultor, cuius honorem scriptis libris egregie etiam propagauit, mundique contemptum verbo & exemplo docuit. DOC. Cole & tu Mariam, atque mundi vanitatem contemne.

2. Leoni Iconoclastæ imperatori fortiter se opposuit, honoremque Sanctorum imaginibus habendum defendit. Leo idcirco apud Ducem Saracenorum (cui Ioannes Secretarius erat) falsi criminibus impositis egit, vt ei dextera manus amputaretur. DOC. Et manū & caput pro fide libenter offer.

3. Nocte insequenti ante Virginis imaginem oranti detruncata manus à MARIA restituitur, in miraculi vestigium sola rubenti linea in brachio relicta: tuncque Mariæ manu Iconoclastas, omnesque impios fortius scribendo oppugnauit. DOC. Clientes suos facile Maria sanat, contraque impietatem animat.

4. Factus Anachoreta iubetur in patria fiscellas diuendere: risui hic fuit, qui nuper ob scientiam fueras admirationi. Sed hac ipse victoria Mundum derisit. DOC. Ride & tu si sapias Mundum.

5. In Cœnobio sordidissima munia exequi iussus promptè fecit, etiam sordes manu victoriosâ ac miraculosâ abstergere non tergiuersatus, quid mirum, si in cœlis tantopere fuerit exaltatus?

DOC. Humilia te, & exaltaberis.